

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Peter Becker Johann Ehrenfried Pfeiffer

**Horosophiae Mathematicae Exercitatio Secunda Exhibens Definitiones
Mathematicas Ex Universa Tam Generali, Quam Speciali Arithmetica**

Rostochii: Wepplingius, 1699

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729693201>

Druck Freier  Zugang



R U phil 1699

B.

HOROSOPHIÆ MATHEMATICÆ

EXERCITATIO SECUNDA

EXHIBENS

DEFINITIONES MATHEMATICAS

EX UNIVERSA

TAM GENERALI, QVAM SPECIALI

ARITHMETICA

SUB AUSPICIO BENIGNISSIMI NUMINIS,
VOLENTE SIC AMPLISSIMO PHILOSOPHO.

RUM ORDINE

PRÆSIDE.

M. PETRO BECKERO,

MATH. INF. P. P. ETH. t. FCTIS SUÆ DECANO,
DIE V. APRIL. ANNO M. DC. XCIX.

PLACIDÆ AMICORUM

DISQVISITIONI EXPOSITA

a

M JOHANNE Grehnried Weisser

Misenâ-Misnico.



ROSTOCHII,

Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO AC
GRASSIMO DOMINO

DN. SEBASTIANO
Beriken /

Jurium Doctori celeberrimo, Inclytæ

S. R. J. Liberae Reip. Lubecensis


Senatori Gravissimo,

MAGNIFICI BENEFICII SCHABELIANI CURA-
TORI MUNIFICENTISSIMO,

Patrono ac Studiorum meorum
Præsidio submissè observando,

hoc publici Examinis argumentum.
D.

M. JOL. EHRENFRIED PFEIFFER.



Rithmetica *anno 1542 q. e. 12.*
Numerus sic dicta, scientia est mathe-
matica pura, explicans quanti-
tatem discretam, quæ numerus
est, quatenus ille numerabilis. E-
jus proinde objectum circa quod,
Numerus est, non quidem nume-
ratus, materialiter, concretè :
sed numerans, formaliter, & ab-
stractè sumptus. Suis quoque
gaudet principiis, Definitionibus puta & Axiomatis, quo-
rum ope de suo objecto demonstrat Affectiones, quæ sunt
Pronuntiatio, Additio, Subtractio, Multiplicatio,
Divisio, Comparatio. Dividitur autem a variis varie;
placet dispescere in partem *Generalem*, quæ Numerum in
genere h. e. secundum affectiones omni quantitatib[us] numerabili
communes considerat, explicando *partim* numerum
absolutum, eundemque integrum & fractum, *partim* re-
spectivum & comparatum; & *specialem* quæ in specie ta-
lem, h. e. secundum affectiones huic illive proprias, con-
siderat numerum. Quò pertinet doctrina de numero Astro-
nomico, & dicitur *Logistica*; de Gæodetico, & dicitur *Decima-
lis* (a proportione decupla, quæ tamen ad isolam Gæodesiam
non adstringitur amplius); de Cossico & dicitur *algebra*.
Hoc ferè ordine definitiones Arithmeticæ subministrabun-
tur. Ceterum & hicce labor in Dei O. M. vergat gloriam.

COMMUNIORES DEFINITIONES ARITHMETICÆ GENERALIS

I. *Numerus* est quantitas Discreta, secundum quam
quidvis solemus numerare; sive: Est ex unitatibus conflata
multitudo.

II. *Unitas* est Principium, (fundamentum s. ter-
minus

A

minus) omniūn numerorum, qvippe ex qvo omnes numeri oriuntur, & in qvod vicissim resolvuntur

III. *Ciphre* (rectius Ziphrae aut Siphrae) characteres sunt, certi numeri, aut nullitatis indices. Qvae vulgo hodie adhibemus, Saracenicæ appellantur, ab Arabibus, ut ut non inventoribus, nobis tamen Autoribus, ad nos delatae, suntque vel

IV. *Significative*; Qvae sunt characteres numeri significativi, h.e. qvantitate in certam determinantis, (& sic potius Siphras dicerem ab hebr. רְבָב) vel

V. *Non-significative*; Qvae sunt characteres, qvibus qvantitatum nullitas exprimitur (sicqve Ziphras mallem dicere ab Arab. רְבָב.)

VI. *Par numerus* qvi in duas æqvales partes dividi poterit. sic 2.4.6.8.10.&c. estqve idem vel.

VII. *Pariter par* qvem duo pares numeri metiuntur. Ut 16. qvem & metitur per 2. & contra, Nam 16. \div 8. = 2. & 16. \div 2. = 8.

VIII. *Pariter impar* qvem par numerus metitur per imparem; sic 30. est pariter impar, qvia 2, qvi est par, metitur eundem per 15. qvi est impar. 30. \div 2. = 15.

IX. *Pariter & impariter par* qvem numerus par per parrem, & alius par per imparem metiuntur; ut 10. qvem & 2. per 10. & 4. per 5. metiuntur. Nam 10. \div 2. = 10. & 20. \div 4. = 5.

X. *Impar* qvi bifariam in duas æqvales partes dividi nequit ut 3. 5. 7. 9. 11. &c. Estqve

XI. *Impariter impar* qvem impar per imparem metitur. Sic 15. est numerus impariter impar, quia 5. eundem metitur per 3. nam 15. \div 3. = 5.

XII. *Metiri* numerus numerum dicitur, qvando exactè illum dividit, & aliquoties sumptus eundem reddit ut

¶ 6. metitur 24. Cum 6. aliquoties, & hic quidem, quater sumptus reddat 24. Nam. 24. $\div 6 = 4$. & $6 \times 4 = 24$.

XIII. *Perfectus* est cuius omnes partes aliquotae simul sumptae æquales sunt toti, eundemque reddunt: Ita 6. est numerus perfectus, cum partes eius aliquotae 1. 2. & 3. simul sumptae constituant 6. nam $1 + 2 + 3 = 6$. Ejusmodi numeros ab unitate usque ad 4000000. septem tantum dari observant autores.

XIV. *Imperfectus* contra, cuius omnes partes aliquotae simul sumptae non ex aetate reddunt suum totum aut ipsi æquales sunt. Estque vel

XV. *Abundans* cuius partes aliquotae simul sumptae numerum reddunt toto suo majorem. Sic 12. est abundans; ejus enim partes aliquotae 1. 2. 3. 4. 6. sibi additæ constituunt 16. qui major est 12.

XVI. *Deficiens* cuius partes aliquotae sibi invicem additæ numerum reddunt integrum minorem; sic 10. est deficiens quia 1. 2. & 5. partes ejus aliquotae constituunt tantum 8. qui minor est 10.

XVII. *Cognatus* sibi invicem numeri, sunt duo numeri, quorum alterius partes aliquotæ simul sumptæ constituunt alterum. Tales sunt 284. & 220. Nam prioris partes aliquotæ 1. 2. 4. 71. 142. simul sumptæ constituunt posteriorem 220. & hujus partes aliquotæ 1. 2. 4. 5. 10. 11. 20. 44. 55. 40. simul sumptæ constituunt priorem 284.

XVIII. *Monadicus*, est numerus denario minor, quales sunt omnes numeri ab unitate ad novenariū. Dicuntur alias *Digiti*, quod digitorum ope exprimerentur veteribus.

XIX. *Decadicus*, est numerus rotundus annexam habens Ziphram; ut 20. 40. 60. &c. dicitur alias Articulus, quod digitorum articulis exprimi solebat. Primus illorum est denarius 10. quem ἑξάκιον vocarunt, forte quo-

niam ex quatuor prioribus numeris sibi additis conflatur.
Nam. 1. 2. 3. 4. simul sumptae constituunt 10.

XX. *Mixtus*, est qui in decades exacte dividi nequit; quales sunt omnes denario maiores, ab initio Ziphram non habentes. 16, 24, 36.

XXI. *Statio monadica*, ubi positus numerus toties significat unum quod in ipso sunt unitates; *Decadica*, ubi toties decem, *Hecatontadica* ubi toties centum &c. significat; sic in 428. Numerus 4. est in Statione Hecatontadica 2. in Decadica 8. in Monadica.

XXII. *Numerus numerans* est, qui concipitur abstractus ab omni materia, dicitur alias formalis. Sic 3. & 4. &c. prout 3. & 4. Unitates significahtur.

XXIII. *Numeratus* vero est numerus rebus applicatus, & materiae immersus. Sic 3. & 4. prout tres homines, quatuor libri & similia denotantur, dicitur alias materialis, concretus, physicus &c.

XXIV. *Laritudo* numerorum est, quando numeri ita colligantur, ut unus infra alterum ponatur v.g. 678
⁶⁷⁸
943

XXV. *Longitudo* vero est numerorum à dextra versus sinistram aut contra extensio. sic 5¹⁶⁹ 678. &c.

XXVI. *Pronuntiatio* s. *Numeratio* est legitima propositi numeri secundi valorē suum exprimendi ratio; De quā usitatisimus versiculus. *Millia post primam* (sc. periodum) dices milieua secundam; *Inde per Es reliquas expime rite notas*. Ita seqvens numerus, omni arenularum quantitate, in sphœræ mundanæ concavo continendā, major distingui solet 1,000,000,000,000,000,000,000,000,000,000,000,000,
000,000,000,000,000,000,

XXVII. *Additio* est duorum vel plurium numerorum sigillatim

latim sumptorum in unam summam collectio, ut summa
quidem totidem contineat unitates, quot sunt in numeris
addendis unitates. Ejus signum nobis \ddagger . Sic Adam anno
rum 130. genuit Seth, vixitque postea 800. annos, fuit ergo
moriens annorum 930. nam $130 + 800 = 930$.

XXVIII. *Subtraction* est duorum vel plurium numerorum
minoris a majore subductio aut separatio, ad habendum
residuum. Ejus signum nobis erit $-$. Sic Lutheri re-
formatio coepit circa annum 1517. Quot annis abhinc?
 $1699 - 1517 = 182$. annis.

XXIX. *Multiplicatio* est ductio numeri qui dicitur mul-
tiplicator $\pi\lambda\alpha\tau\lambda\alpha\sigma\alpha\zeta\omega$, in aliū numerū, qui dicitur multi-
plicandus $\pi\lambda\alpha\tau\lambda\alpha\sigma\alpha\zeta\omega\zeta\omega$, toties facta, quot sunt in illo.
(multiplicatore) unitates. Productus dicitur $\gamma\nu\omega\mu\zeta\omega$. Si-
gnū ejus \times . Sic 15. gradus in circulo terrestri maximō
continent unum milliare, quot milliarum totius orbis am-
bitus. $360 \times 15 = 5400$. mill.

XXX. *Divisio* est inventio numeri, qui suis unitatibus
indicat, quoties dividens in dividendo contineatur. Ejus
signum nobis erit \div . Duodecim Zodiaci signa continent
gradus 360, quot ergo eorum quodlibet $? 360 \div 12 = 30$

XXXI *Integer numerus* est quo res integras numeramus,
quo ipso non partes alicuius integri, sed totū ipsū indigitam⁹.

XXXII. *Frac̄tus* vero, est numerus significans partes
aliqvot unius integri; sic $\frac{1}{4}$. indicat, integrum in 4 tuor aequali-
les partes distributum, earumq; partium 3. esse sumptas.

XXXIII. *Numerator* dicitur superior fractionis numerus,
supra lineā transversam scriptus, qui indicat quot partes
integri contineat fractio; & effertur numero cardinali, sic
in $\frac{1}{4}$ numerus 3. est Numerator:

XXXIV. *Denominator* dicitur inferior fractionis numerus
infra lineā scriptus, indicans, in quot partes totum s. in-
tegrum sit distributum.

XXXV. *H*omogenee s. ejusdem denominationis fractiones sunt, quorum denominatores sunt iidem. sic $\frac{1}{2}, \frac{2}{2}, \frac{3}{2}$. Omnium n. denominatores dicunt integrum in octo partes distributum.

XXXVI. *H*eterogenea s. diverse denominationis fractiones sunt quorum denominatores sunt diversae $\frac{1}{2}, \frac{2}{3}, \frac{3}{4}$. Nulla enim harum cum altera convenit.

XXXVII. *P*ropriae fractiones quorum denominatores sunt numeratoribus minores, dicuntur; integrum non tantum in partes aliquot divisum, sed & earum partiū certas tantum esse sumendas sic $\frac{1}{2}, \frac{2}{3}$; prior enim integrum in quinque partes divisum & harum partium sumptas indicat; posterior integrum in septem partes divisum, earumque six sumptas indicat.

XXXVIII. *I*mproperiae sunt quorum nominatores non sunt majores numeratoribus, sed vel æquales; & sic æquivalent uni integro ut $\frac{1}{2}$ &c. vel minores & sic integrum, aut integrum cum fractione revera continent; ut $\frac{1}{2}$ continet n. integrum $\frac{1}{2}$ & præterea $\frac{1}{2}$.

XXXIX. *F*ractiones primæ s. minime sunt quæ continent minimos terminos sive numeros, quibus earum valor exprimitur, sic $\frac{4}{5}$ in minimis terminis est $\frac{1}{2}$ & $\frac{2}{7}$ in minimis terminis $\frac{1}{3}$ &c.

XL. *S*implices, quæ revera aliquot unius integræ partes exprimunt, sic $\frac{1}{4}$ denotat tres quartas unius integræ.

XLI. *F*ractiones composite sive derivatae, quæ fractionum fractiones nominare solemus, sunt, quæ partes, non alicuius integræ, sed partium denuo divisorum, designant. e. g. $\frac{1}{2}/\frac{1}{3}$ dicit quatuor quintas unius dimidii. Integrum n. in duas æquales partes divisum, dimidium v. iterum in quinque partes & harum quinque partium quatuor designantur. Interjecta plerumque virgulæ notari solent.

XLII. *P*rimus numerus quem præter se ipsum sola exactè dividit sive metitur unitas, ut 3, 5, 7. sic 1. in 3. ter, & 3 in 3. semel.

Com-

XLIII. *Compositus* qvem præter se ipsum & unitatem ad
huc aliis aliquis numerus, aut plures etiā metiuntur. ut 16.
qvipræter 1. & 16 etiam per 4. 8. & 3. exacte potest divididi. 16. ÷
 $4 = 4. 16. \div 2. = 8. 16. \div 8. = 2.$

XLIV. *Inter se primi* numeri sunt qvos omnes sola unitas
æq; metitur, qvum nullum communem divilorem recipient.
Sic 8. & 21. dividie eqvidem possunt singulatim spectati 8. per
2. & 4; & 21. per 7. & 3. non tamen admittunt communem
ambo numerum, qvi æqvē ipsos metiatur.

XLV. *Inter se compositi* qui communem aliquem divi-
sorem admittunt; sic 8. & 20. dividi ambo possunt per 4. & 2.
nam 8. ÷ 4. = 2. & 20. ÷ 4. = 5. &c.

XLVI. *Communis divisor* qvi propositos numeros inter
se compositos æq; & exacte qvidem dividit. e. g. 8. respe-
ctu numerorum 24. & 32. Nam. 24. ÷ 8 = 3. itē 32. ÷ 8 = 4.

XLVII. *Maximus communis divisor*, est qvando major ali-
quis non datur qvi utrumq; metiatur, & proinde fractio-
nem ad minimos terminos h. e. numeros primos redigit.
sic 24. & 36. per plures numeros exacte dividi possunt, ast
nummerus 12. est eorum maximus nam. 24 ÷ 12. = 2. & 36.
÷ 12. = 3. Major non datur utrumq; dividens.

XLVIII. *Communis dividens minimus* dicitur numerus, qvi
est minimus inter eos qvos oblati numeri exacte dividunt.
sic 12. est minimus numerus eorum qvi & à 4. & à 6. dividi
possunt; qvia infra duodenarium non datur numerus per
utrumque 4. & 6. dividendus.

XLIX. *Comparati numeri* dicuntur qvorum unus ad alte-
rum relatus, non qvalis in se est, sed qvalis est in respectu ad
alterū consideratur. Occupatur a. illa comparatio, vel circa
differentiam duorum numerorum, vel circa rationem.

L. *Differentia* duorum numerorum est excessus, qvo
major minorem superat, & minor à majore superatur sic.

8. & 6.

8. & 6 si conferantur, differentia erit 2. nam 8 - 6 = 2. ejus norma Subtractio est.

L. *Ratio* alias dicta *proportio*, est duarum quantitatum ejusdem generis mutua quædam secundum quantitatem habitudo. Dicitq; quotupliciter alter in altero contingatur. sic $\frac{1}{2}$. si conferantur erit ratio dupla, quia minor 2. continetur in majore 4. bis.

LII. *Termini* dicuntur duo illi numeri, inter quos instituitur comparatio, s. quorum indagatur aut differentia, aut ratio; eorum alter dicitur

LIII. *Antecedens* (Græce ἀπόδειξη) proportionis terminus, est qui ad alium refertur, & primo vel superiori loco scribitur, nulla tamen inter utrumque interjecta virgulâ, ut à fractionibus distinguantur. Alter dicitur,

LIV. *Consequens* (græce επόμενη) ad quem aliis refertur, & secundo vel inferiori loco scribitur. sic $\frac{1}{2}$ sive 5. ad 4. relatis; prior quinarius dicitur Antecedens, posterior quaternarius Consequens.

LV. *Aequalitatis* ratio s. proportio est quantitatis ad quantitatem æqualem habitudo, ubi neuter comparationis terminus alterum excedit sic $\frac{1}{2}$: $\frac{1}{2}$ &c.

LVI. *Inequalitatis* est habitudo quantitatis ad quantitatem inæqualem, ubi alter comparitorum alterum excedit, ut $\frac{1}{2}$: $\frac{1}{4}$

LVII. *Majoris inæqualitatis*, est habitudo quantitatis majoris ad minorem, ubi antecedens comparationis terminus major est Consequente ad quem refertur. $\frac{1}{2}$: $\frac{1}{4}$: $\frac{1}{6}$ &c.

LIX. *Minoris inæqualitatis*, habitudo est quantitatis minoris ad maiorem, ubi antecedens comparationis terminus minor est Consequente ad quem refertur. $\frac{1}{4}$: $\frac{1}{2}$: $\frac{1}{10}$ &c. Utriusque usq;

usque & majoris & minoris aliquot dantur species, quærum eadem est in utraque inæqualitate ratio, nisi quod in minore inæqualitate efficeratur præmissâ particulâ SUB.

LIX. *Nan composita* s. simplex proportio dicitur, quæ aut est multiplex, aut Superparticularis, aut superpartiens.

LX. *Composita* vero quæ & multiplex & superparticularis simul, aut etiam multiplex & superpartiens simul. Dicendum ergo quid sit

LXI. *Multiplex græcè λόγος μεταλόγος* est habitudo majoris numeri ad minorem, quando major minorem exætè aliquoties continet. Estque dupla, tripla, quadrupla &c. quando major minorem bis, ter, quater &c. continet $\frac{2}{3}$ dupla; $\frac{3}{4}$ tripla; $\frac{4}{5}$ quadrupla &c. transpositis vero terminis, erit ratio *sub multiplex*, λόγος τριπλας, diciturque *subdupla subtripla* &c.

LXII. *Superparticularis*, λόγος τριμοίχος est habitudo majoris ad minorem, quando major minorem semel continet, & insuper unam ejus partem aliquotā. Nomen accipit à fractionis denominatore, præmissa particulâ Sesqui. sic. $\frac{3}{2}$. qvia per divisionē emergit quot $1\frac{1}{2}$ dicitur *Sesquiteria*. $\frac{5}{4}$ emergit quotus $1\frac{1}{4}$ dicitur *Sesqui quarta*. $\frac{7}{5}$ emergit quotus $1\frac{2}{5}$ *Sesqui altera* dicitur. Inversis vero comparationis terminis dicitur *subsuperparticularis*, τετραμόχος, *subsesquialtera*, *subsesqui* *tertia* &c.

LXIII. *Superpartiens* Græce ἡμιτέττης, est habitudo majoris ad minorem, quando major minorem semel continet & insuper aliquot ejus partes aliquotas (numeris inter se primis tamen exprimendas). Nomen accipit à fractionis numeratore & denominatore. sic e.g. $\frac{3}{2}$. cum per divisionem emergat quot $1\frac{1}{2}$ dicitur ratio super *tertias*. $\frac{5}{4}$ cum per divisionem emergat quotus $1\frac{1}{4}$ dicitur super *tri partiens*

Quartas &c. Inversis terminis dicitur *Sub superpartiens*
by. v. imp. p. est que sub super Bi partiens Tertias &c.

LXIV. *Multiplex super particularis* est habitudo majoris numeri ad minorem, quando major minorem aliquoties continet, & insuper unam ejus partem aliquoram. Sic $\frac{2}{3}$. Novem continent quatuor bis, & præterea superest una pars quarta, ut sit quotus $\frac{2}{4}$, diciturque Ratio dupla *sesqui quarta.* Septem continent triabis, & præterea superest una pars tertia, ut sit quotus $\frac{1}{7}$, diciturque Ratio dupla *sesqui tertia &c.* Inversis terminis dicitur *sub multiplex sub super particularis.* Et secundum specialem denominationem prior ratio *sub dupla sub sesqui quarta*, & posterior *sub dupla sub sesqui tertia.*

LXV. *Multiplex superpartiens* est habitudo numeri majoris ad minorem, quando major minorem aliquoties continet, & insuper aliquot eis partes (numeris inter se primis exprimendas) sic $\frac{1}{1}$. Undecim continent tria ter, & præterea duas partes tertias, ut sit quotus $\frac{3}{2}$ diciturq; ratio *Tripla super bi partiens tertias*; sic $\frac{1}{2}$. quindecim continent quatuor ter, & præterea tres partes quartas, ut sit quotus $\frac{3}{4}$ diciturque *Tripla super Tri partiens quartas.* Inversis terminis dicitur ratio *sub multiplex sub super partiens & speciatim* quidem prior *Sub tripla sub super bi partiens quartas* & posterior *sub tripla sub super tri partiens quartas.*

LXVI. *Ratio* est vel *Rationalis*, quæ numeris veris, certam quantam quantitatem, dabilem quidem, experimentibus, effterri poterit; sic omnes antedictæ rationes sunt *rationales*; vel

LXVII. *Irrationalis* quæ veris numeris, quantitatem dabilem experimentibus, effterri potest sic 1. ad V. 2. Hic n.

terminus

terminus v. 2. dicit aliquem numerum, qui in se ductus, producit 2. Talis numerus revera non datur.

LXIX. *Proportio Arithmetica* (late sumptâ proportionis voce) est habitudo duorum numerorum, quâ unus alterum superat, aut ab eodem superatur. Oritur exinde differentia. Quæ cognoscitur subtractione. v. g. 3. & 6. Hic numerus differt ab illo excessu, ille vero ab hoc defectu. Cognoscitur autem differentia ex subtractione minoris à maiore. Sic 6 - 3. = 3. item inter 7. & 12. Nam 12. - 7. = 5. conf. superius dicta.

LXIX. *Proportio Geometrica* (quæ propriè proportio f. Ratio dicitur) est habitudo duorum numerorum, quâ unus continet alterum, & hic vicissim ab illo continetur. Cognoscitur illa divisione. Sic 3. ad 12. habet proportionem quadruplicam. Nam 12. : 3. = 4.

LXX. *Denominator proportionis Geometricæ*, est quotiens sive quotus, qui ex divisione majoris per minorem suboritur, & proinde ductus in minorem, vicissim producit majorem. Dicitur alias *quotus*, aut *quantitas proportionis*. e. g. lubeat scire, quæ sit proportio inter 12. & 4. Dignoscitur illud, si 12. dividantur per 4, & emergent 3. Nam 12. : 4. = 3. Hic numerus 3. est denominator, ostendens proportionem esse triplam.

LXXI. *Propotionalitas*, alias dicta *Analogia*, est duarum vel plurium proportionum comparatio, ubi semper antecedens ad suum consequentem unam eandemque ratione habet. v. g. Utile habent 3. ad 9, sic se habent 6. ad 18. Numerus enim, 3. ad 9. collatus habet rationem subtriplam, pari modo etiam 6. ad 18.

LXXII. *Arithmetica proportionalitas* (in latiore iterum vocis acceptione) est habitudo duarum plurium ve portiorum

portionum, in quâ tales coordinantur numeri, qvorum
æqvalis semper ab invicem est distantia, s. differentia, ita
ut qvot unitatib[us] primum excedit secundus, totidem ter-
tium qvar: us. v. g. ut 12. ad 9. sic 6 ad 3. Estqve vel

LXXIII. *Disjuncta*, qvando primus ad secundum sal-
tem habet respectum, qvem tertius habet ad quartum, ne-
quaquam vero secundus ad tertium, sicuti 16. ad 8. ita 4. ad
2. sunt quatuor disjuncte proportionales. Cum ratio qvæ
inter 6. & 8 item inter 4. & 2. non contineatur inter 8. & 4.

LXXIV. *Conjuncta* (qvæ alias dicitur *Progressio* Arith-
metica) est qvando plures numeri inter se ita coordinan-
tur, ut eandem à se habeant differentiam, licet proportio
sive ratio sit diversa semper. Sic 2. 4. 6. 8. 10. 12. &c. Ubi
communis inter omnes proximè se subseq[ue]ntes est diffe-
rentia 2. Non autem ratio eadem. Nam inter 2. & 4. ratio
subdupla; inter 4 & 6. ratio *subsesqui altera*; Inter 6. & 8. *sub*
sesquitercia &c. Estqve vel

LXXV. *Naturalis*, qvâ plures numeri ab unitate ini-
tium sumentes, unitate qvoqve se superant. v. g. 1. 2. 3. 4.
5. 6. &c. vel

LXXVI. *Artificialis*, qvâ plures numeri, à qvocun-
que incipientes, ita sunt coordinati, ut se invicem, seqvens
nimirum antecedentem proximè, æqvali semper differen-
tia, non tamen unitate, excedant. Excessus vero communis
sive par sit, sive impar, nihil interest. Ut 2. 4. 6. 8. 10. & 2. 5.
8. 11. 14. 17. &c.

LXXVII. *Geometrica proportionalitas*, est habitudo
duarum plurimumve proportionum, in qua tales coordi-
nantur numeri, qui eandem inter se habent rationem, licet
differentias diversas, v. g. 3. 9. 6. 18 qvæ est ratio inter 3. & 9.

eadem

eadem inter 6. & 18. nimis in *sub tripla*. Ibi vero differentia est 6. hic tan en 11. Estque pariter vel

LXXIX. *Disjuncta* ubi numeri sibi coordinati rationibus non cohaerent, ita nimis ut quilibet ad proximum habeat eandem semper rationem; uti in 3. 6. 8. 16. Ubi quidem; ut se habet 3. ad 6. ita 8. ad 16; non vero ut 3. ad 6. ita 6. ad 8. vel

LXXX. *Coniuncta* (quae dicitur alias *Progressio Geometrica*) est, quando numeri per certam rationem incedunt, ut eadem semper inter unumquemque & proxime se subsequentem sit ratio. Sic v g. *sub quadrupla* proportione se excipiunt 4. 16. 64. 256.

LXXX. *Harmonica s. Musica* proportionalitas est, cum tres numeri, nec differentiam, nec proportionem eandem habentes, ita coordinantur, ut eadem sit proportio maximi ad minimum, quam habet differentia maximi & medii ad differentiam medii & minimi. Tales sunt numeri 3. 4. 6. Nam inter 6. & 3. proportio est *duplicata*. Differentia maximi & medii est 2. Nam 6. — 4. = 2. & differentia medii & minimi est 1. Nam 4. — 3. = 1. Ergo est ut 6. ad 3. ita 2. ad 1.

LXXXI. *Proportionalitas* deinde inter quatuor proportionales est vel *directa*: quae est sumptio primi ad secundum & tertii ad quartum. Vel *alterna*, quae est sumptio antecedentis ad Antecedentem & consequentis ad consequentem: vel *inversa*, quae est sumptio consequentis tanquam Antecedentis, ad Antecedentem tanquam Consequentem; vel *Composita*, quae est sumptio terminorum duorum simul ad alterutrum eorundem; vel *Divisa*, quae est sumptio excessus termini majoris supra minorem ad ipsum minorem; exemplum sit in quatuor proportionalibus ut 6. ad 3. sic 24. 12.

6.	3.	24.	12	directe,
6.	24.	3.	12	alternē
12.	24.	3.	6.	inverse
9.	3.	36.	12.)compositē
9.	6.	36.	24.	
3.	3.	12.	12.	divisē

LXXXII. *Proportionum regula* est, quæ datis quocunq;
numeris alium vel alios proportionales docet invenire.

LXXXIII. *Trium (de Tri) Regula*, quæ datis tribus-
qvibus cunq;ve proportionalib; quartum investigare do-
cet. Dicitur alias *Aurea*, ob immensam utilitatem in omni
commercio humano. Estq;ve eadem vel

LXXXIV. *Directa*, quæ ex datis tribus quartum inve-
stigat, ut sint directe proportionales. Sint e. g. militis stipen-
dium menstruum 5 aurei, q;ot accipiet Centuria Resp; 100.
Nam ut 1. ad 5. ita 100. ad 500.

LXXXV. *Inversa* quæ datis tribus quartum investigat,
ut sint inversē proportionales. Dicitur alias *indirecta*, q;ia
est: ut primus ad tertium, sic quartus ad secundum. Si e.g.
unus Operarius ad perficiendum opus exigat dies octo,
quatuor exigent duos tantum. sic 1 — 8 — 4 ? f. 2. Nam uti
1. ad 4 ita 2. ad 8.

LXXXVI. *Principales termini* dicuntur Res in quæ-
stionem venientes:

LXXXVII. *Minus principales* sunt, qui denotant
circumstantias loci, temporis, spatii, danni &c.

LXXXIX. *Simplex regula proportionum* dicitur, quæ
ex datis Numeris principalibus tribus quartum investigat,
Cujus exemplum superius.

LXXXIX. *Composita* quæ terminis Principalibus
annexos habet minus principales. Dicitur in specie dupli,
si uni-

Si unicum minus principalem utrinque addat, aut de *Quinque*
gve. cum quinque dentur in hoc casu termini; aut *Deses* cum
sextum inquirat. Sic e. g. 4 milites 6. mensibus accipi-
unt 19 florenos, ergo 8 milites 9 mensibus accipient, 17 flo-
renos. Estque & haec iterum vel directa vel in verba.

XC. *Societas* vel *Consortium* Regula est, quae,

Si plures ineant Consortium, disparem conferentes pecuni-
am, docet, quantum unicuique damni vel lucri cedat. Di-
citur alias Regula rei herciscundæ, æquitatis, justitiae. e.g.
Mercatores 4 contulerunt in commune florenos: 130. A, 200
B, 148 C, 300 D. Lucrati v. sunt 124 flor; quid cuivis delu-
cro debet. r. Estque vel

XCI. *Simplex*, secundum quam partes una &
simplici proportione colliguntur; ut si communis massa in-
ter plures distribuenda sit, nullâ temporis vel similis cir-
cumstantiae mentione factâ. vel

XCII. *Composita* secundum quam partes duplicit,
vel multiplici proportione colliguntur; ut si principali quæ-
stioni circumstantia temporis, vel simile quid adhæreat.

XCIII. *Alligationis Regula*, est regula propor-
tionum composita, quæ diversa rerum mistarum pretia ita
adæquat, ut uno pretio intermedio emi, vel ad unum quasi
omnes alligari possint. Vel ita: quæ in rerum mixtione &
comparatione in edii cum extremis, certum misti tempera-
mentum inquirit. E.g. si Urna vini mensurarum 160 miscen-
da foret ex quatuor diversi generis vinis (qvorum singulo-
rum mensura constat A 12, B 10, C 8, D 6, assibus:) ita quidem
ut misti mensura constet 9 assibus, fieri per hanc regulam.
Solet autem duplicitate ratione considerari: Aut enim datur
pretium & rerum miscendarum & misti, quæritur a. misti-
onis ratio; aut dantur pretia miscendorum, & ratio mi-
tis, quæritur autem pretium.

XCIV.

XCIV. *Extrema* h̄ic dicuntur numeri, qvibus
pretium rerum miscendarum exprimitur, aliās numeri al-
ligandi.

XCV. *Medium* vero est numerus, qvō pretium
aut mensura mixti exprimitur & designatur, dicitur ali-
ās alligatus numerus.

XCVI. *Falsi regula* est regula proportionum
composita, in qvā per incertum & falsum inquiritur nu-
merus verus, in qvæstione positus. *Positionum* regula ali-
ās diciūr, item *egmenti* & *decrementsi*.

XCVII. *Falso* sive *hypothesis* dicitur numerus, qvī
assumitur tanqām qvæstioni satisfactorius, indeqve applica-
tus qvæstioni, dicitur *hypothesis*, cum iſ ad omnes cir-
cumstantias qvæstionis examinari debeat.

XCIX. *Datus* numerus dicitur, qvī ex numero, se-
cundum qvæstionis circumstantias examinato, provenire
supponit. Est autem hæc regula vel

XCIX. *Unius positionis*, in qvā unus tantum numerus
pro hypothesis accipitur, vel

C. *Duplicis*, ubi duo numeri pro hypothesis assumun-
tur, & secundum qvæstionis tenorem examinantur.

ARITHMETICÆ SPECIALIS COMMUNIORES DEFINITIONES.

CI. *Logistica* (sic dicta à verbo λογιστής) qvod generali-
ter qvidē est ratiocinari, specialiter autem per numeros ra-
tiocinari) est talis computandi ratio, qvā in motibus, præ-
sertim corporum cœlestium, integra secundum numerum
sexagenarium semper distribuuntur in tot partes minimas,
ut fractiones vel evitentur, vel commode magis expri-
mantur. Dicitur aliās *Astronomica logistica*, qvod ejus usus
in

in astronomia sit maximus, ut etiam in Geographia suum habeat usum. Considerantur autem numeri Astro-nomici sub ratione vel Temporis vel Motus.

C II. *Sexagesima* est sexta pars circuli continens 60 gradus, quorum 360 absolvunt integrum circulum. Quemadmodum v. 60. gradus unam constituunt sexagenam, ita 60. sexagenæ primæ, unam secundam, 60. secundæ, unam tertiam sexagenam constituunt, & sic porro.

C III. *Gradus* est trecentesima & sexagesima pars totius circuli, continens 60. minuta prima. Dicitur alias integrum.

C IV. *Scrapulum* five *minutum primum* est sexagesima pars gradus unius, continens 60. minuta secunda. Quemadmodum *unum minutum secundum* continet 60 min: ter-tia, & sic porro.

C V. *Signum* est duodecima pars circuli continens 30 gradus. Qvia Zodiacus duodecim continere supponitur Signa.

C VI. *Character* est nota, indicans speciem alicujus numeri logistici. Sic gradus designantur per (o) minuta prima per (/) secunda per (//) tertia per (///) & sic porro. Sexagenæ vero plerumque per viugulas hisce contradi-

stinctas e.g. 23. 25. 34. 18.

C VII. *Annus* est spatium temporis quo Sol loquimur enim de solaribus annis totum Zodiacum emetitur.

C IX. *Mensis* est duodecima pars anni, licet inæquals; cum alius 30. alius 31. &c. dies habeat.

C IX. *Dies* spatium est temporis, constans 24. horis. Hora ergo 24ta pars diei naturalis continens 60 minuta.

C X. *Decimatis Arithmetica*, *deceptio numeris*, commoda est computandi ratio, in qua ad evitandas fractiones, integra secundum proportionem decuplam continuâ progres-sione

C

ione dividi solent in minutissimas partes. Dicitur **Gæodetica**, aut Geometrica, qvod ejus in Geometria hactenus usus præcipue sit demonstratus; Hodie tamen ad alias etiam disciplinas applicari cœpit.

CXI. *Pertica* / . *Decempeda* mensūra est (diversis quidem regionibus diversa,) qvæ in decem æqvales partes, quas *Pedes* dicimus, dividitur. Eā à portando *porucam* quasi dictam volunt. Et que vel simplex, si simplicem mensuram longitudinariam aut latitudinariam &c. *Quadrata*, si superficiem, cuius longitudo & latitudo sit unius perticæ; *Cubica* si corpus, cuius longitudo latitudo & crassitas unius perticæ sit, denotet. Designatur per (o)

CXII. *Pes* est decima (juxta alios aliter) pars totius perticæ. Designatur per (.) estque pariter simplex, quadratus, vel cubicus, uti & reliquæ subsequentes mensuræ.

CXIII. *Uncia* est centesima pars perticæ, & decima pedis. Designatur per (/).

CXIV. *Granum* est millesima pars perticæ & decima unciae; designatur per (///).

CXV. *Minutum* primum est decies millesima pars perticæ, & decima Grani, designatur per (///) & sic porro.

CXVI. *Algebra* est computandi ratio per numeros figuratos, assumendo qvæsitum tanquam nō um, & constituend inter eum, aliosque datos, æqualitatem, ad inveniendum quæsitum. Dicitur *Analytica*, ab aliis *Cossica*.

CXVII.

CXVII. Numeri figurati sunt, qui ex multiplicatio-
ne factâ certam figuram exprimunt. Ubi factores di-
cuntur latera s. Radices.

CXIX. *Planus* numerus, qui unitatibus suis, in lon-
gum latumque dispositus, superficiem & figuram planam
efformat. Estque vel

CXIX. *Æquilaterus*, qui à duobus æqualibus la-
teribus in se ductis (i. e. numeris multiplicatis) oritur. Ita
 $3^2 \cdot 6$ per 6 multiplicatis; vel

CXX. *Inæquilaterus*, est qui oritur ex duobus late-
ribus inæqualibus in se ductis. Dicitur vulgo surdus, qvia
radix extracti exakte nequit. Sic 12 , qvi productus est à 3 . du-
ctis in 4 .

CXXI. *Solidus* numerus, qui ambitu suo solidum
Geometricum refert, triâ constans dimensione. Oritur
ex continua multiplicatione trium numerorum, primi
in secundum, & producti in tertium; sic 125 oritur ex tri-
bus $5 \cdot 5 \cdot 5$. Nam $5 \cdot 5 = 25 \cdot 5 = 125$. Estque pariter æqui-
laterus vel inæquilaterus

CXXII. *Drachma* dicitur qvilibet numerus, ali-
quot unitates in se continens. Character ejus est. N.

CXXIII. Radix est numerus ex cuius progressio-
ne geometrica alii numeri oriuntur. Dicitur Res & Co-
sa; ejus character R. s. v & Recentioribus a.b.c.

CXXIV. *Quadratus* sive Zensus est qui ex Radi-
ce in se multiplicata gignit superficiem quadratam. Si-
gnum ejus Q sive a^2 . ita ex 3 . oritur 9 . Nam $3 \cdot 3 = 9$.

CXXV. *Cubus* est numerus, ex tribus æqualibus
in se continue ductis subortus. Signum eius C. sive a³ sic 27 .
est cubus ex 3 . Nam $3 \cdot 3 \cdot 3 = 9 \cdot 3 = 27$

CXXVI. *Biquadratus* s. Zensizensus est nume-
rus

fūs; ex quātior æqvalibūs in se ductis oriens. Signum ejus Q. Q. sive a⁴ Sic 81. est Biqvadratus. Nam 3. X.
3. = 9 X 3. = 27. X 3. = 81.

CXXVII. *Surdus solidus* est, qui oritur ex quinque æqvalibus in se ductis. Signum ejus S. sive a⁵ Sic 243. Nam 3.
X 3. = 9. X 3. = 27. X 3. = 81. X 3. = 243.

CXXVIII. *Quadratius Cubus* s. Zensi Cubus, qui oritur ex sex æqvalibus in se ductis. Signum ejus Q. C. sive
a⁶ ita ex 3. est 729.

CXXIX. *Bisurde solidus* est numerus 7. laterum æqvalium. Signum ejus B.S. sive a⁷ ita ex 3. est 2187.

CXXX. *Zensi Zenzenius* s. Triqvadratus, est numerus 8. laterum æqvalium. Signum ejus Q. Q. Q. sive a⁸
ita ex 3. est 64.

CXXXI. *Cubis Cubus* est numerus 9 laterum æqvalium. Signum ejus C. C. sive a⁹ ita ex 3. est 19683.

CXXXII. *Potestates*, dicuntur hi modo dicti numeri. Sic Radix est potestas prima, quadratum secunda, Cubus
tertia.

CXXXIII. *Exponentes* sunt numeri progressionis Arithmeticæ naturalis, numeris geometricæ progressionis adscripti, qui exponunt quot proportiones intercipiantur inter quemlibet numerum & unitatem.

CXXXIV. *Extractio Radicis* est inventio numeri, ex cuius multiplicatione aliquoties iterata, numerus, ex quo extrahenda Radix, ortus est. Sit e.g. ex 27. extrahenda Radix cubica, inveniri debet numerus 3. Nam 3. X 3. = 9.

$$\sqrt[3]{27}.$$

CXXXV. *Solutio Algebraica* quæstionis oblatæ; absolvitur triplici operatione: Inventione, Aeqvatione, & Reduptione.

CXXXVI. *Inventio* (aliis *Denominatio* dicta) est operatio

ratio, quæ, secundum tenorem questionis propositæ, suō
quālibet quantitatē m, in quæstione occurrentem, de-
signat nomine, & viam inveniendæ æqvationi sternit. E. g.
sint 520 imperiales distribuendi 4 tuor filiis, 2 filiabus, & ma-
tri, eā lege, ut filiæ portio 20. imper: excedat filii unius quo-
tum, & matris 40 vicibus excedat quotum filiæ unius;
filiorum portio inqviratur necesse est; sitergo X. proin-
de filiæ unius erit $x + 20$, & matris $x + 60$. Hactenus
inventio.

CXXXVII. *Aeqatio* est duarum quantitatum, qua-
rum altera est cognita, altera vero incognita, collatio, ut
hæc æqvivaleat illi. Ita in priori exemplo summa impe-
rialium cognita est 520, incognita, est pretium omnibus fi-
liis filiabus ac matri simul debitum; quare vi superiori di-

$$\text{etorum pro } \left\{ \begin{array}{l} 4 \text{ filiis est } 4x \\ 2 \text{ filiabus } 2x + 40 \\ \text{matre } x + 60 \end{array} \right\} \text{ summa}$$

horum $7x + 100$. æqvipollent 520. Hactenus æqua-
tio.

CXXXVIII. *Reductio* est æqvationis oblatæ, per
æqvalem utrinque additionem, subtractionem, multipli-
cationem, aut divisionem reſolutio, & ad simplicissimos
quasi terminos redactio, ut alter æqvationis terminus fo-
lam incognitam, alter v. solam cognitam fiftat quantita-
tem. Ita in exemplo superiori reducitur æqvatio

$$7x + 100 = 520$$

$$\text{tolle utrinque } 100, \text{ & erit } \underline{\underline{7x}} = 420$$

$$\text{Divide utrumq; per } 7, \text{ & erit } \underline{\underline{x}} = 60$$

Cum ergo x idem sit atq; 60 imperiales, seqvitur quemli-
bet filiorum 60 (& quatuor per conseqvens 240) accepisse;
filiam vero $60 + 20 = 80$ (& duas proinde 160 accepis-
se) Matrem vero $60 + 60 = 120$ accepisse Nam

	4 filiorum	= 240	
Nam	2 filiarum	= 160	qvota facient add: 520
	matris	120	

Et hæc sufficient, cum qvæ videantur hinc inde omissæ definitiones, appendicis olim loco adjici B. C. D. possint. Sit interim
Deo. O. M.

Laus, Honor, & Gloria.

COROLLARIA.

Non poterit unquam adsignari numerus, quo non dare licet
majorem, & minorem.

2. Si quis susciperebat, toti se huic urbi prospetturum de mensa longe opipara, dapibusque prorsus laetissimis, & vel Regibus non indignis, ea tanquam lege, ut pro prima septimana persolvatur sibi unus assis quadrans, pro secunda duo & sic porro dupla semper proportione; non crederem omnes totius Mecklenburgi opes sufficiendas, ad solvendum unius anni debitum.

3. Sex commilitones totidem conventuri diebus, quoties mutare locum circa mensam, & ordinem queant, duos integros annos, decem diebus exceptis, requirent, ad id perficiendum.

4. Dari figuram quadrilateram, tres tantum intra se complecientem angulos, non est absolum.

5. Qui sole minora Zodiacum ejusque Eclipticam moveri dixerit, errat; neque enim ad arietem aut reliqua dodecatemoria unquam provolvitur, suo quasi thalamo inclusus.

6. In editissima turri constitutus, & conspiciens in terra deambulantes, non videt ipsos (neque dicere eo respectu potest) in loco inferiori sed superiori constitutos.

ERRATUM.

Def. XXIX. lege ita: Unus gradus in Circulo Terrestri maximo continet 15. milli.



ratio, quæ, secundum tenorem quæstionis p
quamlibet quantitatē m, in quæstione occu
signat nomine, & viam inveniendæ æquationi
sint, 20 imperiales distribuendi 4 tuor filiis, 2 fil
tri, eā lege, ut filiæ portio 20. imper: excedat fi
tum, & matris 40 vicibus excedat quotum
filiorum portio inquiratur necesse est; sive
de filiæ unius erit x + 20, & matris x + 6
inventio.

CXXXVII. *Aequatio* est duarum quārum altera est cognita, altera vero incognita; hæc æqvivaleat illi. Ita in priori exemplo trialium cognita est $s=20$, incognita, est pretiū liis filiabus ac matri simul debitum; quare

etorum pro	4 filiis est 4 x 2 filiabus 2 x \ddagger 40 matre x \ddagger 60
------------	---

horum 7 X + 100. æqvipollent 520. H
tio.

CXXXVIII. *Reductio* est æquationem utrumque additionem, subtractionem, aut divisionem resolutio, & ad quasi terminos redactio, ut alter æquationem incognitam, alter v. solam cognitam tem. Ita in exemplo superiori reducitur

7 x ♫ 100

tolle utrinque 100, & erit — — — 7 x
Divide utr.

Divide utrumq; per, & erit —
Cum ergo x idem sit atq; 60 imperiales, se-
bet filiorum 60 (& qvatuor per conseque-
filiam vero 60 + 20 = 80 (& duas pro-
fe) Matrem vero 60 + 60 = 120 accepit

